Diſtinctiones & aliæ Notæ:

*Comma, Colon: Semicolon; Punctum. Signum interrogationis? Signum exclamationis! Parentheſis() Diæreſis, ut, aër, Subunio, ut, Reſ-publica.*

## DE ETYMOLOGIA.

*Quid eſt Etymologia?*

Eſt pars Grammaticæ, quæ ſingularum vocum naturam explicat.

*Quot ſunt Claſſes vocum ſeu Partes Orationis?*

Octo: Nomen, Pronomen, Verbum, Participium, Adverbium, Præpoſitio, Conjunctio & Interjectio.

*Quomodo dividuntur Partes Orationis?*

In Declinabiles & in Indeclinabiles.

Quatuor ſunt Declinabiles: *Nomen, Pronomen, Verbum & Participium.*

Quatuor ſunt Indeclinabiles: *Adverbium, Præpoſitio, Conjunctio & Interjectio.*